

1732 113
OBSERVANTIÆ MONUMENTVM

QVOD

V I R O

*Magnifico, IConsultissimo, Amplissimo & Do-
ctissimo DOMINO*

D O M I N O

**THEOPHILO
DANIELI
BÆRHOLTZ**

Nuper Seniori Consuli Civitatis Thorunensis,

Affessori Iudicii Terrestris Nobilitatis Culmensis, Proto-
Camerario, & Scholarchæ optime merito,

Iam

Die XXIV. Maij Anno M DCC XXX

**PRÆ-CONSVLI, PRÆSIDI ET
PROTO-SCHOLARCHÆ**


Solenniter electo,

Venerabundæ posuerunt

Seq̄ constanti patrocinio Ejusdem

Submisse commendare voluerunt

MUSÆ THORUNIENSES.



T H O R U N I I

Impressit Ioh. Nicolai NOB. SENAT. & GYMN. Typographus.



*Q*ua latus Albis Saxonum durum genus
Allambit, undas Teutonico miscens mari;
Qua flexuosus se Viadrus cum Balticis
Stagnis maritat, ac propior Trionibus
Cimber Gothusq; sole gaudet perbrevis;
Tenebris renata Relligio plaudit manu,
Laetamq; frontem jubilis exporrigit
Excita. ad aras vittæ & infulæ genu
Flectunt, pioque thure Numina expiant.
Stant laureati Principes cum fascibus,
Magno Tonanti & ore vota nuncupant,
Et corde læto, quo fluat perenniter
Pax alma, longa temporum felicitas,
Salusque avorum comparata sanguine.
Hinc docta Pallas elaq;uo potens suas
Expromit artes, dulciusque nectare
Melos refundit; inde Musicum genus
Certat sonora voce vincere Orpheum,
Atque organa addit barbitis eburneis.
Unde iste motus? cur theatra personant,
Opesque veris Vesta cum Zephyro manu
Stillante spargit? celsa num Capitolia
Petit revinctis barbaris & hostico
Cæsar subactis natus anne gentibus
Princeps juventæ, sceptræ cui regaliæ
Submittit orbis, fulgido diademate
Caput radiare gratulatur obsequens?
Majora Lutheranus orbis ætulat,
Et seculari gaudio percellitur,
Lætus videre, cernere quod sibi datum est,
Nemoque cernit, qui modo spiritum trahit.
AUGUSTA quippe recolitur CONFESSIO,
Explens secundum seculum per arduos
Casus, ruinas gentium, & per flumina
Sparsi cruoris, signa per Marvortia,

Utinam

Utinam beatis esse tam liceat bono
Fato Camœnis, jungere & magnis queant
Animis meditata carmina & preces pias!
Cernis quid obstet, **MAGNE MÆCENAS:** nocet
Esse eloquentes, dum iuvat silentium,
Atque innocenter dicta livor indies
Arrodit atro dente, & insultat bonis.
Voto calente sufficit comitariere,
Rogare vitæ & orbis arbitrum Deum:
Si veritates cœlitus datæ placent,
Si grex pusillus non suam sed Numinis
Gloriam tuetur, hujus in merito lubens
Totus recumbit, quid potentia seculi
Minetur usquam & exitium paret sibi,
Securus usque: floreat Confessio,
Intacta fraudi Martisque machinis!
Augusta duret, latiusque det jubar,
Qua Phœbus ortum signat, atque mergere
Properat jugales, quare respicit pigrum
Alte Booten! atque dum Titan suos
Accendit ignes, stabit illa perpetim,
Innixa Jovæ & vindicata brachio.
Vos Saxones magnum celebrate seculum:
Nos, qui minuti Pinduli sumus incolæ,
Cœlo favente, quo favor & pietas trahit,
Encomia ferre **MAGNO PRÆSIDI** decet,
Et **PROTO-SCHOLARCHÆ** signa gaudii dare.
Dignum putavit splendidus **PATRUM** chorus,
Præconsularis dignitas cui cederet,
Et sustinere prægrave qui pondus queat.
Dignum putavit, qui vetus Minervium
Proto-Scholarchæ munere insignis suo
Sciret nitori reddere. quam magna est viri
Virtus, secundis & probata & asperis,
Succincta cœli gratia & prudentia!

Urbana

0271

Urbana nunquam territant Ceraunia,
Quin usque major & superstes omnibus
Redit, penetratque quid nefas quid fas fiet.
Non ira stringit, non hominum faventia:
Nescit pyropus, gemma vel Gangetica,
Divesque Tagus hunc animum præstringere:
Similis sibi ille semper edurat: premit
Pravos, bonisq; præsidium ac decus manet.
Si Svada large contulit opulentiam,
Si cura legum, si Themis præcordia
Implevit, & monumenta si sapientiam
Veterum recludunt, admonentq; conscium,
Olim quid actum, quæ vicissitudines
Rerum urbiumque, quid stabilem faciat domum:
Næ ille Nestor deputetur, aut Thales,
Solone major, dignus & Quiritium
Sella curuli, Gloria quem secum vehat!
THORONA felix non beato tempore,
BÆRHOLTZIANO quæ modo ingenio viges!
Gratare fessis rebus, exurgent brevi:
Gratare Curia, tuebitur decus:
Gratare Sacris, nil movebitur loco:
Gratare Civibus, diligent quem non timent:
Tibi ipsa gaude, mox eris ornatior.
Felix Lyceum! vota adimplevit DEUS,
Habes Parentem, cura cuius excubat,
Ut e favillis, quæ premunt, emergere
Possis, nec illis conssepulta marceas,
Venerare Numen, consilia ut Patris regat,
Extendat annos, detq; Hygiæ munera,
Favor honorum, autoritas sit integra,
Nihil penates turbet, inclitum genus
Fama perenni ad posteros circumfluat.
Hoc Patre salvo prosperitas comitabitur:
Sospesq; eris PROTO-SCHOLARCHA sospite.

••)(O)(••